

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Conradi Samvelis Schvzrfleischii Opera historica politica

Schurzfleisch, Konrad Samuel

Berolini, 1599 [i.e. 1699]

LVII. De Nobilium Insignibus

urn:nbn:de:bsz:31-102564

tamen ignoro, alibi in Germania saevum litandi morem adhuc tenuisse, eiusque rei causa non Christianos homines (paganos) a Christianis mancipia, emere solitos, ut horum cruore Numina placarent, foedoque ritu sacrificarent. *Vid. epistola Gregorii II. Pont. Rom. ad Bonifacium, in volumen, quo sancti Anstifitii epistolae continentur, relata, eaque CXXII. et Vita S. Wulfstomii; utraque digna lectu, et immanis barbaraeque impietatis nondum illo, quod miror, tempore extirpatae documentum, fide publica, quam nemo infirmare auit, corroboratum.* De Prussis et Sarmatis nulla mirandi causa superest, quippe qui arbores et quercus palam venerati sunt, nec eodem, quo Germani, seculo, hanc superstitionem deseruerunt. Cuius rei fama ad vicinos pervenit, et magno consensu ab utriusque gentis scriptoribus est confirmata. Ex usu fuerit, evolvere *Petrum Dusburgium in Chron. Prussiae, part. III. Erasmus Stellan, et Simonem Grunovium, quos sequuntur Casp. Schuzius, et Casp. Hennebergerus.* Assentiuntur Poloni, *Io. Dlugossius l. VI, annal. Polon. ac Matthias Michovius l. IV, Chron. Pol.* De Lithuanis idem hoc tradit *Mart. Cromerus l. XV, ex eo Salomon Neugbauer, et Elias Schedius de Dis Germanis syngram. II. c. 24.* Sed in hoc quaedam minus accurate, quaedam minus emendate posita animadverti: nihilo relictius est, quod auctoritatem Caesaris oppugnavit, negantis sub illud tempus, quo de Gallis scripsit, in Germania extitisse Druidas, quem cum Tacito imprudenter committit, et Germanorum sacerdotes, ex eorum numero fuisse, putat, qui Druides nominantur. *Syng. cit. l. cap. 1.* De veteri Hungaria legi par est *decreta Ladislai, in quorum libro I. c. 22.* observare licet, non defuisse quondam inter Hungaros, qui ad arbores offerrent (sacrificarent). Ne longius abeam, unum illud de Saxonibus antiquis, et adhuc barbaris, quod prope mihi exciderat, saltem in extremo huius disputationis indicandum est, eos cum simulacra, tum arbores divino honore profecutos, fortitudine magis et belli, quam verae pietatis laude floruisse, eaque ratione Carolum Magnum, ut superstitione cultus arborum maioribus nostris interdiceret, adductum, ne quid deinceps Dei honore indignum fieret, sanxisse, in *Capitul. de partibus Saxoniae cap. XX.*

LVII. DE NOBILIUM INSIGNIBUS.

Noti sunt magnorum fluminum cursus; scaturigines vero obscurae, fontesque unde derivantur. Constat insignia dari, eorumque hodie usus invaluit longe amplissimus. Primordia ut alibi, ita hic, si res a sua repetenda origine est, maxime latent. Nam quod

ego quidem sciam, pauci haecenus in hanc incubuerunt curam, ut rimarentur origines Insignium gentilitiorum.

§. II. Sed utar occasione, et manum rei admovebo. Sunt, qui ab Heberi posteris Insignium initia ducant asserantque eo ipso, Davidem usurpasse in insignibus leonem. Nec de est asserto ratio neque forte hic praetermittenda. Confecerat Leonem, magno impetu in se irruentem. Hinc quanta Fortitudinis opinio omnium animos suspensos tenuit, tantum ad capienda Insignia momentum fuit. Atque ex ea forte causa signum Leonis usurpatum, sive ut intrepidi animi argumentum, sive ut rei pulchre gestae indicium esset *I. Sam. XVII. 37.* Aliorum coniecturas non affero. Nam aut alienioris exempli sunt, aut non satisfaciunt. Imo vero quicquid huius in universum est, libenter missum facio, quod recordari hic subit perquam lubricum esse, ac nulli certe fundamento innixum, quod in parte huius instituti depromitur ab Hebraeis. Praeterea ab horum partibus recedo, qui prima gentilitii moris vestigia extitisse apud Aegyptios aiunt. Ab illis perinde dissideo, quotquot a Caribus, ac Troianis repetunt. Sed vero exquisitiores esse volunt, qui Cyrum referunt, ut primum inter Persas studii equestris, ita haud dubium gentilis, ut credunt, dignitatis autorem. Atque hic valet testimonium Xenophontis *1. πειρ.* seu aliquando coniectura magis. In Germania nostra evidentius in Henrico Aucupe exemplum est. Idem ut ludis Equestribus, ita gentilitii honoribus decus atque robur addidit inter suos. Propius accedunt illi, qui veros Insignium natales a cultiorum gentium moribus arcessunt. Nempe homines factis, familias insignibus distingvi avitae gentium consuetudinis fuit. Consuetudines postea exceperunt Leges, et exempla saepe numero in literas redacta, ut autoribus suis honori, posteris admirationi essent.

§. III. Caeterum quid assumentis insignibus fecerit locum, ab aliis reddi aliter solet. Qui recte rem investigant, plures post originem causas exponunt. Dum vero hic originem dico, una denoto Nativitatem. Cuius occasione Alexander M. sua sibi Insignia excogitavit. Is Olympiadem matrem a Dracone sub specie Iovis compressam, seque ex illo genitum credebatur. Igitur arcessere inde insignia sibi et effigiem appingere Draconis coepit. Conferri eo Doctiss. Camerarius potest, *Op. subcis. c. 69.* De familia Principum Hennebergensium refert Chronici Hennebergici autor *Lib. 1. Cap. 3.* Gallinae imaginem in Insignibus incisam habuisse. At postquam procedente tempore stirpis origo repetita a Columniis est, auctum insigne, et disco gentilitio inserta Columnae albae Coronam sustinentis effigies. De caetero originem Columniorum non ex Italia arcessimus, sed ex Germania, id est, ex Zollerensium stirpe. *Vid. Aut. Hist. Aug. in Interreg. post Frid. II. et Henr. VII.*

Nnnnn 2

Sunt

Sunt tamen alii, qui eos ducant a Guelphis. Neque vero Columnii hi confundendi cum Equitibus Ordinis illius, quem vocant, di Colonna. Kranichf. cap. 16. de equitib.

Diutius ferme quam attinet circa originem haesi. De reliquis multo brevius tradam. Subit hic oculos vitae, quod quisque sectatur, genus. Alii avomere atque aratro insignibus materiam fecerunt. Hoc Gordio illi usu probatum memini. Is ab infimo vitae genere et cultu pastorali, ad regium progressus, nondum connexuit, indicium prioris status, et omen futuri. Vestitum insigne aratri imagine, illigatis funiculis conspicuum, ac monumentum adeo ante actarum rerum.

§. IV. Adhaec servatae fide pretium Nobilitas fuit. Conferri eo Michael Ritus Neapolitanus potest. *L. 3. de Reg. Hispan.* Hodieque Gallia insignia multa ostentat fidelis erga Reges obsequii monumenta. Praeterea expeditiones sacrae originem insignibus praebuerunt. Honoris causa nominamus Comitem Schirentem Eckardum, qui et bello inter fuit contra Saracenos, et rem praecclare gessit, et meruit insignia. Dignus ille Baioarum honos, cuius fructus ad hodiernos Bavariae Duces redundavit. De caetero composuit res Eckardi Andreas presbyter, in recensendis Bavariae ducibus minime negligens scriptor, neque indignus, unde exciperem, quod serviret instituto.

§. V. Quod etiam meritis effectum sit, ut insignia conferrentur, allegamus Ebersteinios Dynastas, hoc titulo evectos ad Insignium honorem. Argumento est tota rubra interlucente caeruleo Sapphiro insignis. Saepe etiam venit usu, ut quemadmodum nomina, ita insignia efformentur. Documento hic sunt familiae Columniorum, Malliorum, et id genus complurium apud Gallos, ut refert Moreau Gallus. Vir in hoc argumento versatissimus, in *lib. subtit. Des armoires de France, Chap. 1.* Non piget recensere hic Alefeldios, Schleinitzios, quorum nomina insignibus, insignia nominibus exprimuntur. De Schleinitziis certe memini, vidisse in insignibus ipsorum tres Rosas, quas a nomine sortitos credo, et ut credam, multa me hortantur. Nomen Venedae est gentis. VVendi enim, quos vulgo dicimus, rosam pulcherrimam efferunt familiari sibi nomine Schlemis. Vnum hic in transcurso addendum, omnia ea aut VVendicam praeferre originem, aut in VVendica praedia successionem, quae terminantur literis *is/vit/nis*. In quam rem conferre licet Laurentium Peccensteinium in *Theatr. Sax. Part. 1. c. 11. P. Albinum M. Chr. Tit. 11.*

§. VI. Constat quoque, literarum studiis nobilitatem esse paratam, cuius rei testis locupletissimus Cassiodorus est. Iam dudum enim Carolus V. Angliae Rex consummatae doctrinae laudem insignibus repensavit. Inter exempla erit quidam Carni nomine insignibus donatus a praedicto rege. Praeter literas alii ad Nobilitatem gradus fuere, de quibus exposuit Iuris consultissimus Vir

Vir Sinibaldus Vbaldus *ax. 19. 20. 21. etc.* Iustitia eo evexit Pittacum, Lycurgum, Solonem: Liberalitas Pelon, Tarquinium, & superiori aevo Medicos. Lube- cae fides peperit insignia Aquilae tempore Friderici Aenobarbi. De aliis li- bens taceo.

§. VII. Spectabimus alium fontem, unde Nobilitas defluxit. Intuebi- mur Christophorum Columbum, cui navigatio et prodigium illud derecti no- vi orbis insignia addit. Tulit sane rei laudabiliter peractae praemium. Con- cessus indulgentia Regis Castellani globus decorus. Haec indicia fuerunt ve- teris orbis emensi, et novi iam inventi. Etiam faustum saepe ad simulacra gentilitia belli auspiciis fuit. Sed hoc institutis Gentium voluntariis ac libe- ro cuique populo libere relictum est, velit usurpare devictarum gentium in- signia, nec ne? contra quam nuper putavit Auberius Gallus; qui nescio quas turbas dedit in hac parte. Constat alioqui Augustum, superatis Cantabris, vi- ctoriae iure induisse insignia, & Cantabricae gentis vetera illa extinxisse. *Vid. Spondan. Epitomat. Baron. Sim. Maiolus, Fréberus ad P. de Andlo.*

§. IIX. Restat ultima Insignium causa, quam societatem facio gentis cum gente. Quid enim impedit, diversos Principes foedere arctiori iungi, et si u- trinque ita visum est, intimioris amicitiae testandae causa, mutuis insignibus uti? Huiusmodi societas inibat in quondam inter Carolum M. et Regem Sco- torum, eaque adeo ex causa communis insignium usus inter utrosque invaluit. Contextus gentilitius ex liliis contra positus a Leone rubeo factus, ab Hectore Boethio traditur.

§. IX. Haec de Insignium communium origine expositum est satis. Servabimus instituti formam, et trademus nonnihil de insignibus sigillatim. Nempe hic sua cuique arridet opinio; quae ubi semel occupaverit animum, id solum statuit quod initio sibi persuadere coeperat. Sed hic quidam repe- riuntur, nimis sane curiosi. Nos in id incumbemus, ut quaedam eruamus, sed cum delectu, atque adeo citra superstitionem. Eminentissima virtutum He- roica est, a qua repero primordia insignium concessoram. Solebant veteres, iis, qui pro patria praesidium lubissent, periculumque impendens propulsa- rent, clypeum dedicare. Nec clypeum modo, sed qui pietis imaginibus rei prae- clare gestae testimonium esset. Haud dubie collimare eo voluit Poeta, dum scriberet:

Mos erat antiquis, ut bellica castra secutus,

Nomina pro meritis, aptaque signa darent.

Eodemque referre liceat illam Salustii sententiam: Sic se (ipse ait) hostem fe- rre, murum ascendere, conspici, dum tale facinus facere properaret: eas di- vitias, eamque bonam famam, magnam Nobilitatem putabat. *Confex. Ubid. ax. de Nobil. 14.*

§. X. Dabatur in bellum ituro clypeus, qui nullis plane ornamentis esset praeditus. Eo fide pugnabat fortiter et specimen edebat virtutis, imaginibus quasi fortium facinorum testibus, clypeus distinguebatur. Et hic paratae erat indicium Nobilitatis. Nec temere forte aut inconsulto huiusmodi imagines clypeis inprimebantur. Ut sua cuiusque erant facinora, ita insignia exornabantur. Fingam esse quendam Horatium Coclitem. Is pugnando fortiter hostium Impetum sustineat, & resistat adeo, donec soluto post tergum ponte, hosti aditus intercludatur. Praemio certe dignus erit, et merebitur insignia virtutis. Ponam, concedi imagines, impediri insignia Leonis. Nota atque indicium erit exantatorum periculorum, atque luculentissimum bellicae virtutis argumentum. Dabo ornari magis galeam gentilem: fiet iis rebus, ut extrema galeae impetum, arietis figura bellatorem designet. Nolim asferre exempla ubique obvia. Sed addo tantum, luxuriari ferme voluisse insignium usu veteres, cum quot arces subegissent, quot praelia commississent, tot pictas imagines gestare placuisset. Alii circulis, alii aliis notis scuta sua distinguebant.

§. XI. Vindicavi haec bello originem Nobilitatis, sed ea lege, ut Toga quoque venire debeat in huius dignitatis partem. Nam belli aequae ac pacis tempore emergere licet ac niti ad summa. Nec togae adeo negatum est, quod fieri potest in saeco. Duabus enim rebus Republicae continentur; partim armis, partim legibus. Vtrisque rebus et parari Nobilitas potest et retineri. Neque enim maior Nobilitas a Marte, quam ab Apolline profiscitur. Cur enim Musae fraudarent hoc fructu? cur non eveherent suos cultores? Offerunt sane praemia et expromunt, et viam saepe ad ipsa insignia pandunt. Etiam connubiis eo patuit via, & ad fastigium excelsius quandoque. Post Aeneam Sylvium, Conradum Urspergensem, Fabricium et Reineccium scribit Peccensteinus, pervetustam Pflugiorum familiam ex Primislaeo Bohemo promanasse. Is enim supra septingentesimum vigesimo anno Croci Bohemiae Ducis filiam, Libussae nomine, coniugem sibi acceperat, eoque principali dignitate auctus fuit. Sic Bunavorum prolapia, eodem auctore, originis suae primordia refert ad principes Pedemontanos. Crevit bello et multa fortuna, donec Siciliae turbis implicata, eiusdem cum Imperatore Friderico II, calamitatis particeps fieret. Hinc molestiarum, quas bellum continet, pertaesa mutavit sedes, ac apud Bohemos sibi novum domicilium elegit. Supervacuum hic ostendere est, ex Comitibus olim descendisse Nobiles, & Nobiles vicissim in Comitum esse proventus fastigium.

§. XII. Sed quis conferre insignia possit, expeditum hic est dicere. Sequimur eorum partes, qui illud ius deferunt non recognoscenti superiorem. In sacratissimo Imperio Romano Caesari hoc reservatum ius est. Ad Austriae vero Duces et Comites Palatinos privilegii titulo pervenit. De caetero qui im-

pertiendorum insignium, iidem ex certa causa auferendorum, imo ob gravius delictum imminuendorum et forte etiam auferendorum ius habent. Triste huius rei documentum Bironius, cui, irrogata sententia capitali, ablatum ordinis, qui militiae Spiritus S. dicitur, insigne, baculus item et pallium ac torques detracta. Buleng. *Hist. lib. XI. et suppl. Chytr. in Bir. ad A. 1602.* Nempe adeo certum est, fontem insignium esse Maiestatem, ut hinc iam manifestum sit satis, scuta, galeam, vittas, coronas, telamones principalis indulgentiae beneficia esse, nec licere privatis ea sibi arrogare auctoritate privata.

§. XIII. Opportunum, his inferere, utrum titulo consuetudinis, an usucapionis, an Lege beneficiaria, an adoptione, an denique pactis conventis insignia transferantur? Verum id hoc loco decidere, nimis prolixum esset, et nostro instituto alienum. Sed nihilomihus quaeratur, an plebeius empto beneficio Nobili, ipse nobilis evadat? Dicemus cum Sinebaldo, non magis hunc nobilem fieri, quam illum, qui domum Consulis emit, consulem. Res enim hominibus accedunt, non res hominibus accedunt, non res hominibus. Et vero quid manifestius, quam nobilitatem inesse personis, non rebus, neque adeo a rerum indole proficisci?

§. XIV. Age nunc exponam, unde componatur gentilitium insigne. Constat autem parma, coloribus, galea, corona, metallo, vittis, et denique sustinetur fulcimentis quibusdam, quae telamones vocant. Atqui vero hic observandum est, quod monent scriptores armorum gentilitiorum. Clypeum Nobilibus attribuunt, tanquam insignis haereditarij testem; his, qui Nobiles non sunt, discum quendam relinquunt, sub campi titulo expressum. Diximus breviter, unde insignia consistunt: Reliquum est, ut de iis, quae inferantur, laboremus. Ac iam dudum receptum est, ut nomina Deorum clypeos exornarent, eaque adeo ex causa Aeneas, cum arma Memnonis requisivisset, triplici ratione utendum putarent. Primo clypei formam, deinde literarum inscriptarum notas; postremo picti Numinis effigiem inspexit. *Huc vid. Taubm. ad Virg. Aeneid. l. 1. v. 494.* Demosthenes fortunam in clypeo expresserat, ut Plutarchus autor est. Ex Campano recenset Limnaeus, clypei quoque simulacrum a Geniis caelestibus sumptum esse, idque Florentiorum imaginibus idem autor comprobat, *I. P. L. 6. cap. 6. n. 92.*

§. XV. Qui hominis figuram usurpent, licet pauci reperiantur, videas tamen, qui integri hominis, videas, qui dimidiati formam exhibeant. Obiter hic notes velim, integram hominis figuram media nobiliorem censeri. Et hominis in insignibus picti imaginem, multarum virtutum, praecipue Iudicii ac denique fortunae versabilis effigiem esse. Annectam exemplum, cui fidem faciet Egra Bohemiae civitas, quae iconem hominis gestat, quae patet eius umbilicus. Eiusdem gentile ornamentum Eremita conspicitur. De aliis referre alterius est loci.

§. XVI.

§. XVI. Recitandum hic esset, cur animalium Imagines scuto fuerint inscriptae. Sed cum pleraque horum abdita sint, aut incerta, de gentibus bellicosis tantum ex Chassano referam, ab animatibus terribilibus insignia desumpsisse. Id de Romanis, Hunnis, Francis, Saxonibus passim obvium, eoque indicio futurum, populos hos minime molles, et contra asperos atque impavidos fuisse. Et cervus quidem celeritatem in rebus gerendis, ursus animi calorem signabat. Illuc VValvvitzios refero, quorum in insignibus est cervus; huc Bernios & Bernstaios quorum arma gentilia ursus exornat.

§. XVII. Neque hic reddere intempestivum, etiam piscium imagines areae gentili inseratas esse. Denuo utar exemplis, et referam de insignibus Telayiorum atque Karasiorum, qui piscibus utuntur. Trescavii aserem usurpant. Nec tantum integra animalia, sed partes saepe eorum ad hunc usum adhibitas esse, documento sunt Hundii & Reckerodtii. Illi Caput equinum, hi aliam, alii tulerunt aliorum membrorum simulacra. Praeterea rerum vitae expertium imagines ducunt Stoternheimii, Puchbergii, Pfortemii, quorum insigne exhibet dimidiam lunam. Quorum illi dimidiam lunam, hi flumen exhibent. Qui plura gestiunt videre exempla, requirant Libros Heraldicos, quos nostra lingua Wapenbücher vocamus.

§. XVIII. Distingvimus suis quaeque spatiis, et iam de iis ornamentis, quae colores addunt, tradimus. Iam olim Tacitus scripsit, vetustissimos Germanos scuta sua lectissimis coloribus exornasse idque praecipuum cultum credidisse. De moribus Germ. Cap. 6. 4. Quo confer. Matth. Bernegg. quae ad Tac. XXIII. Vulgo quinque colorum genera designant. Quorum primus est albus, post eum niger, tum coeruleus, purpureus, postremo viridis. Quos omnes ad brevia capita reducemus, et monebimus una, caeteras, tanquam minus principes, sub iis comprehendi. Et Albus quidem color caeteros praestat, ac metitur Insignium dignitatem; unde Regula Heraldicis approbata, eo praestantiores duci colores, quo magis ad album accedant. Maxima albi coloris praestantia cernitur in eo, quod ex ipso alii colores, ipse vero ex nullo alio fiat. Ad haec puritatis ratione Deo ipsi coelestibusque hic color electus est, et hominibus saepe ad indicandam sinceritatem, prudentiamque, assumtus. Niger vero ut albo posterior, ita Saturno assimilatur in Coelo, Terrae inter Elementa, adamanti inter lapides, ferro inter metalla, prudentiae denique inter virtutes.

§. XIX. Pergimus in hoc gentilitio apparatu ad coeruleum colorem, cuius maxima dignitas in superiori mundo apparet, si coelum est serenum. Comparatur Saphiro inter gemmas, Aeri inter elementa, violae inter flores, castitatemque insuper denotat et iustitiam atque sanctitatem. Purpureus inter Elementa ignem, inter lapides haematiten, in corpore humano san-

gvinem exprimit atqve repraesentat. In Regibus Maiestatem iam a vetustissimo tempore signavit, eoqve regius hic creditus color est, et nulli privatorum concessus. Sequitur viridis, laetitiae indicium, visuique omnium gratissimus, et spei vigorisque symbolum, quod in frugibus, quarum maturitas expectatur, sit conspicuus. Inter Stellas Venerem, inter fossilia hydrargyrum, inter Elementa aquam, ex virtutibus honorem atqve comitatem exhibet.

§. XX. Sed haec mittimus, ut qui memores simus, notatam hic iam olim esse nimiam quorundam curiositatem a Viro insigni, Davide Blondello in oper. *Geneal. Franc. T. 2.* Itaque descendimus ad galeam, quarum aliae clausae, *Stechhelm* aliae apertae, *Thurnierhelm* appellantur. Augenturque hae saepe apud proceres pro numero ditionem, exemplo gentibus familiari, et iam dudum quoque in Hispania probato. Praeterea ut situs earum, ita iudicium de natalibus inde sumitur diversum. Cum Galeae ad sinistram situs, inserviat ad dignoscendos legitimos et, quos dicimus, naturales, eoqve si tali consilio positus mutetur, innuit nothum esse, qui Galea eiusmodi utatur. Nam aut nothi paterna insignia plane non gestant, aut gestant ad alium situm inflexa, nisi consuetudine forte aliter fuerit receptum, uti de Francia et Britannia auctores confirmarunt. Ibi nothi, inquit Sinibaldus, in insignibus paternis barram (ut loquuntur) ferunt, transversam a sinistra parte ad dextram. Quid cum Mm^o superiori tempore actum sit, non attinet referre, quod actis publicis pleraque sint inserta. At vero hic non est praetermittendum, galeam non secus, atqve haecenus de scuto diximus, Variis animalium rerumque naturalium figuris exornari. Cuius quidem causa non est alia, quam eius, qui insignia ex causa virtutis meritorumque concessit, publica autoritas.

§. XXI. Venimus ad Coronas, quatenus gentilitiae dignitatis memoriam prae se ferunt; quae tanto maiorem dignitatem significabant, quanto conspectior earum positus erat. Eminebantque in hac parte illae, quae a Summo ludorum Equestrium moderatore animose decertantibus imponebantur. Cuius originem ex antiquissima Graecia non pauci, neque incite deducunt. Estque hic ante oculos Nobilis Tudesciorum familia coronae ornamento ab Augustissimo Imperatore quondam aucta.

§. XXII. Hinc subit recordatio plumarum cristarumque, quarum etiam in phaleris gentilitiis prolixissimus est usus et ad Americanos usque diffusa exempla. Inter Cristas enituit olim ista, quae tribus figuris conum referentibus comprehenditur.

§. XXIII. Nunc vittas ostendimus, quas tegmina, an lacinias, an fascias, an mappulas forte dicamus, nihil prohibet, si spectemus fori Heraldici usum. In Hispania, Italia earum loquius, in Syevica Crusius, in Haslica Fabronus, in

Ooooo

Alfatia

Alfata Herzogius meminit, Saxonicas promisit Albinus, neque multo post edidit. Ex asse reddunt Germani et vocabulo perconvenienti, iamque ubivis recepto, *Helmdecken*. Illaeque comparatae ad dignitatem et indicandam rei gestae magnitudinem fuerunt.

§. XXIV. Properamus ad finem, atque adeo telamones recensemus, quibus quasi fulcimentis opera gentilitia continentur. Sunt qui hic capient mysteriorum eruendorum occasiones, quos patimur suo abundare sensu, contenti monuisse, alios telamones desumi ex rebus coelestibus, alios ex humanis, aut similibus huius generis. Hac pacto apud Pontificios invaluit consuetudo divos inferendi, ut impleant telamonum vicem. Principibus quibusdam solenne est homines Sylvestres adsciscere ad gentilitiae huius fabricae dignitatem.

§. XXV. Ad extremum hic memoria dignum videtur, quod in componendis insignibus, ritus atque mores gentium admodum sint diversi. Itaque inspicenda populi cuiusque consuetudo, locus etiam aestimandus, ubi imagines debent appingi. Praeterea Animalium illa simulacra exprimi oportet in eo statu, quem recipit eorum natura, quo eorum actiones sunt conspicuae magis. Atqui hic cum in scuto, tum in Galea notandum, ut positus imaginum quadret, et naturalibus animantium proprietatibus atque actibus, qui a natura eorum proficiscuntur, potioribus apprime conveniat. Piscis nunquam exprimat, quasi in aere haereat, nec Columba pingetur, quasi natet in aqua. Sic ridebitur forte, qui Aquilam repraesentaverit ut sedentem, quam volantem aut ungvibus tenentem praedam, aut alas expandentem, pingi convenientius erat. Leo ut pedibus posticis nixus ac comparans se ad pugnam, multo aptius redditur, quam dormiens in Terra, aut alio fortasse modo, qui minus ex dignitate illius ferae, ac symboli adeo feram declarantis. Ex quo intelligitur omnes, quotquot imagines huiusmodi pingere volunt, reddere manifestissime debere praecipuas atque oculos hominum subeuntes sive proprietates, sive actiones animalium insigniores. Sed hoc quale sit, existimari facile potest. Coloris quoque ratio habenda est ex praescripto Heraldicarum Legum. Cedunt quippe sibi colores dignitate et loco, neque aliter pingi debent, quam id ex perpetua consuetudine observatur. Nam ut non sine naevo ponitur Metallum super metallum, ita nec sine vitio artis pingitur color supra colorem. Ex *VVolfg. Lazii lib. 7. de migrat. gent.* adducimus stirpem Ritterburgiorum, quorum insignia albo et atro coloribus ex transverso divisa antiquitus explendescabant. Sed priusquam faciam tractationis huius finem, illud vel strictissime adhuc attingam, quod et plurimum illustrat Nobilitatem, et ius declarat veniendi ad equestres ludos. Qui honos uti magnus est, et primo armorum laude partus, ita ab omni

aevo avitarum imaginum gloria aestimatus fuit. Hodie nemini eo ad eundi potestas, nisi doceat, insignia Nobilitatis a quatuor avis paternis et maternis ad se nascendi sorte transmissa esse. Haec si spectanda praebeat, habet decem veniendi instrumentum, ac momentum ad hanc dignitatem maximum certissimumque. Formula solennium equestrium vulgo affertur a scriptoribus, qui dicuntur, torneamentorum. Plurima alia huic argumento pararem, si plene res Heraldicas componere constituissem.

LVIII. DE ORDINE VELLERIS AVREI.

Antiquus est ritus inaugurandi Equites, et balteo donandi, insigniaque solenniter conferendi, ut decus et gloriam virtutis causa consequantur. Cum enim res humane fragiles semper caducaeque sint, tum praemia haec sempiterna existimari debent, quae constituta sunt fortibus, ut industria et consilio imperia et regna defendant, hostibusque occurrant, et fidem atque constantiam domi forisque confirmant.

§. II. In Germania ictus collo impacti signo in ordinem equitum cooptati, iureiurando et voto se obstrinxerunt, quod annotavit Ioannes Beka, et Gvilelmi Batavi inaugurationem descripsit. *Rex Bohemiae grandem dedit ictum in collo tyronis (Gvilelmi Hollandiae Comitis, et anno M CC XLVII. Imperatoris Rom. designati) ita dicens: ad honorem omnipotentis Dei te militem ordino, ac in nostro Collegio gratulanter accipio. In Chron. Episcop. Traiectinor. Vocem, gratulanter, aliquoties usurpat, non Latinam quidem, sed illo tempore receptam: aliqvin magis tunc protrita vox erat, gratanter: sic paulo ante scripsit: dignanter.*

§. III. Praeterea gladio accincti, et in equestre collegium cooptati sunt, cuius rei pompam et splendorem tradit Arnoldus Lubecensis, maxime sub id tempus, quo Fridericus Aenobarbus, Henricum filium (Caesarem et successorem destinatum) in magna principum frequentia balteo donavit. *Fridericus Imperator (huius nominis I.) edixit curiam, ut filium suum Henricum Regem militem declararet, et gladium militiae super femur eius potentissimum accingeret. Chron. lib. III. c. 9. Omisit Conradum, et Ottonem, eodem tempore milites factos, et festo ritu declaratos, id quod ex Sterone patet, ad annum M. C. LXXXIV.*

§. IV. Reges ergo, et Regum principumque filii non recusarunt huius cinguli honorem, et primae adeo ac regiae nobilitatis iuvenes, solenni ce-

0000 2

remo-